

minuta heresis, cuius ne Isidorus quidem meminit, eam tamē amplexi sunt & retinent hodie Mahumetani, qui quenque in sua religione saluum fore docent, & credunt.

CAP. LXXIII.

Theopaschitæ, vel Theopassiani, quid senserint.

Alia est heresis, quæ dicit in Christo diuinitatem doluisse, quum figeretur caro eius in cruce.

I Diuinitatem doluisse.) Minuta hæc hæresis, si author spectetur: cæterum perniciosissima, si dogma perpendatur, quæ videtur teterrimorum postea errorum occasio & causa fuisse, vt ex tribus Theodoretæ dialogis apparet. Eutychianorum nempe, dum in Christo diuinam naturam passam esse contendunt: & Nestorianorum, dum vt hic error euitaretur, stulti homines duas in Christo naturas, tanquam duas personas fingunt, & separant. Anonymos est hic error apud Augustinū & Isidorum, sed nos ex Nicephoro lib. 15. cap. 28. Θεοπασχίτας, id est, Deipassianos appellauimus, ad veterum imitationem, qui Sabellianos Patripassianos vulgò nominabant. Ergo naturas in Christo cōfuderunt, & quod humanæ proprium est, tribuerunt diuinæ, quia vna est persona, & vnum est ὑψίστου, Dominus noster Iesus Christus. Quanquam verò sanguine suo dicitur Deus redemisse, & acquisiuisse sibi Ecclesiam, Actor. 20. vers. 28. quāquam item Deus